



Conradus ille Augustæ Vindelicorum ex honesta familia natus, & in omni genere uirtutum ibidem educatus est. Is cum felici ingenio esset præditus, à teneris annis literis incubuit, et in primis legum lectioni diligentem operam impendit. hinc factum ut Iuris Doctor omnium acclamatione creatus fuerit. Accedebant multæ heroicę uirtutes, & rerum agendarum dexteritas. Itaq; patrię utilis ciuis & singulare ornamentum extitit, atq; à Maximiliano Cæsare inter suos cõsiliarios cooptatus fuit. quin etiam Erasmus Roterodamus hunc Conradum plurimùm ob eruditionem dilexit, & inter summos amicos habuit. Scripsit is anno 1506 Ser-

mones conuiuales, in quibus multa de mirandis Germaniæ antiquitatibus referuntur. præterea de gentium quarundam emigratione Epitome, quæ Procopio & alijs Historicis in editione adiecta. Erat enim Conradus rerum antiquarum singularis æstimator, qui huiusmodi indagare & posteris proponere magna delectatione erat solitus. Vnde eius uirtutes etiam hodie recentes prædicantur. Tandem is ætate confectus obiit, & apud suos honorificè sepultus fuit. Eras. lib. 18. Epist. & Con. Ges.